



Universitätsbibliothek Paderborn

**Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi
Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

63 Exceptio grandinis sterilitatis, & siccitatis contra pensionarium
quandoque opponi potest.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

ex defectu jurisdictionis, ut per d. glossam in cle. unic. Abb. in d. cle. ut calumnia. numer. 11. & Staphil. in tract. de commiss. & lit. just. §. in primū. nu. 36. 37. & 38. & Gig. de pens. qu. ult. n. 20.

60 Regulariter executio litterarum reservationis pensionum † committitur locorum ordinariis, vel aliis in dignitate ecclesiastica constitutis, & si pensionarius litteras reservationis pensionis praetenderet alteri, quam in eisdem pro executoribus nominatis, cujuscunque qualitatis, & conditionis, † etiam si legati, vel Nuncij Apostolici forent, defectu jurisdictionis eorum sententiae vitio nullitatis subjacerent, quia in prima instantia nullam habent jurisdictionem, obstante sacri concilij Tridentini disposit. ut cap. 20. §. legati quoque, Iess. 24.

61 † nec vigore delegationis, quae facta in unam personam, in aliam sine subdelegatione transferri non potest.
62 Secundò, potest opponi † exceptio grandinis, sterilitatis, & siccitatis, qua de causa, si aliquo anno quis non percipit fructus, ad solutionem pensionis non tenetur, ut post alios, quos citat, tener Felyn. in c. ad audienciam. 2. num. 7. de rescript. quae exceptio militabit in pensionibus impositis sine clausulis exemptionum, sed, si in reservatione apponatur clausula, quod sit immunitus, libera, & exempta ab omni subsidio, tam ordinario, quam extraordinario, decima Papali, & quod solvi debeat quo-cunque casu fortuito non obstante, etiam grandinis, siccitatis, sterilitatis, depopulationis agrorum, incursus hostium, & cum similibus, & amplioribus clausulis de stylo Romanæ curiæ apponi solitus, sub obligatione camerale, cum derogatione regulæ de praestando consensu, tunc pensio semper

integra persolvi debet, quia cum à communiter accidentibus, precedentibus, & sequentibus annis uberes fructus percipiantur, sterilitas cum ubertate compensatur, l. licet. C. locat. c. ip. propter sterilitatem. eod. tit. & Rot. in noviss. par. 1. decis. 757. num 3.

Ideo non possunt ecclesiarum beneficiati allegare sterilitatem temporis, nec incursum hostium, ut per glossam in cap. ratione enim, 12. quest. 2. Felyn. in d. cap. ad audienciam, num. 7. vers. pro quo, & Gig. de pens. qu. 62. nu. 7. & contra obligationem cameralem dicta exceptio non admittitur, sed si instrumentum est liquidum, possunt opponi tantum tres exceptiones, † videlicet, falsitatis, quietationis, & solutionis, de quibus per Bart. in l. 1. §. parvi resert nu. 3. f. quod vi, aut clam. Cassad. decis. unic. de mut. petit. nu. 2. & interminis Galef. in tract. ad form. camerale. obligat. ad 4. part. claus. qu. 1. numer. 2.

Dantur tamen casus, quibus, † licet regulariter dicta exceptio non admittatur, in Signatura gratiæ Papa ex causa admittit exceptiones, quia illa obligatio adeo fortiter ligat propter vinculum juramenti, quo renunciatur etiam beneficio absolutionis, sub pena perjurii, sed quia juramentum, quo quis ligatur, persolvere pensionem excessivam, aut alias invalide positam, eset vinculum iniquitatis. Papæ auctoritate omnia juramenta illicita possunt irritari, & auctoritatem, 1. §. qu. 6. & etiam à juramento licto absolvere potest, cap. alius. & cap. nos, ead. qu. 6.

66 Tertiò exceptio † compensationis opponi potest, quae habet vim solutionis, l. si debitor, circa fin. ff. qui pot. in pig. habebat. Bart. in l. amplius non peti numer. 8. ff. rem.